IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 137v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



et insurgentibus in me malignantibus persecutoribus et in me grassantibus audiet auris mea in futuro iudicio dici discedite a me maledicti in ignem eternum

Iustus non ut fenum sed ut palma florebit comparatur iustus palme propter altitudinem et pulchritudinem et fructus suauitatem et sicut cedrus multiplicabitur cedrus immarcessibilis est altior aliis arboribus presertim in libano ita iustus erit inputribilis stola immortalitatis candidus fideles autem qui nunc plantati sunt super fidem in ecclesia que est domus domini finaliter in atriis domus domini .i. in celestibus mansionibus floridi coruscabunt

Adhuc fideles et si modo non sunt plures tamen multiplicabuntur in nouissimis ubi ecclesia cum plenitudo gentium intrauerit erit uberrima et bene patientes erunt patienter mala huius peregrinationis sustinentes et hoc ut annunciet .i. digni sint annunciare aliis quod sequitur

Quoniam rectus et iustus dominus deus noster qui suis promissa complet et non est iniquitas in eo ut hic permittat pati pro se quos ibi non coronet

Dominus 93 In quo monet ad laudem xpristi

Dominus ihesus xpus et verus homo et verus deus regnauit qui in sua resurrectione potestatem super omnem creaturam accepit decorem indutus est cum corpus immortale et gloriosum in sua resurrectione assumpsit indutus est dominus fortitudinem quando diabolum oppressit et captiuos de inferno potenter eduxit et precinxit se virtute quando angelorum multitudine circumdatus remeauit ad patrem

Etenim firmauit in fide populum fidelem in toto orbe terrarum qui non commouebitur a soliditate fidei ad errores licet